

1998-12-08 – SS Ioannes Paulus II – Notificatio ‘Per Decretum Die’

Prot. n. 2671/98/L

NOTIFICATIO**DE OCCURRENTIA MEMORIAE OBLIGATORIAE IMMACULATI CORDIS BEATAE MARIAE
VIRGINIS UNA CUM ALTERA MEMORIA EIUSDEM GRADUS**

Per Decretum die 1 ianuarii 1996 datum (Prot. 2376/95/L: cf. Notitiae 32 [1996] 654-656) Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit celebrationem Immaculati Cordis beatae Mariae Virginis in Calendario Romano generali, die iam statuto, inscribendam esse gradu memoriae obligatoriae, loco memoriae ad libitum.

In casu quo praedicta memoria, cuius dies celebrationis mobilis est ac dependens a die celebrationis Paschatis, eodem die occurrat una cum altera memoria obligatoria, illo anno hae duae memoriae tamquam ad libitum retineri debent, iuxta indicationes quae in Instructione Calendaria particularia diei 24 iunii 1970 relate ad calendaria particularia (n. 23c) inveniuntur.

Talis occurrentia accidentalis non invenitur ante annum 2003.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino, die 8 mensis decembris 1998, in Sollemnitate Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis.

Georgius A. Card. MEDINA ESTÉVEZ
Praefectus

+ Gerardus M. AGNELO
Archiepiscopus a Secretis